



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Quæ debeant relinquere ij qui intrant religionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

rapiendam, dentibus & unguibus dilacerauerunt: & sic dilaceratus, venit ad Abbatem Antonium. Cui Abbas Antonius ait: Quicumque renunciauerit seculo, & vult adhuc habere pecuniam, sic à dæmonibus lacerabitur.

Quæ debet relinquere ille qui intrat religionem.

CAPVT II.

OMnia relinquere debet, qui venit ad religionem. Ecce nos reliquimus omnia. Bernardus. Omnia reliquerunt Apostoli: non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plus enim mundi concupiscentia nocet quàm substantia. Et hæc fugiendarum diuitiarum causa præcipua est: quia vix aut nunquàm absq; amore valent possideri. Limosa siquidem & glutinosa nimis, non tantummodo exterior, sed etiam interior substantia nostra, quæ videri non potest: & facillè cor humanum omnibus, quæ contrectat, adhæret. Religiosus si habuerit proprium, non habebit Deum. Aug. Ego per auaritiam meam non te admittere potui: sed volui tecum possidere mendacium, & te amisi: quia non dignaris cum mendacio possideri. Relinquere debet religiosus non solum sua, sed etiam suos, & semetipsum. de primo dicitur: Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. De secundo: Qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. non potest meus esse discipulus. De tertio: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, Semetipsum abnegat, qui seipso

Matth. 19.

In tractat.

quæ habet

super hæc

verba

Mat. partem

à princip.

Luc. 14.

Matth. 10.

Luc. 14.

Matth. 16.

quodammodo se exuit, proprium sensum & voluntatem deponendo; & sensum Christi & voluntatem assumendo, sicut fecerat Paulus. qui dicebat: *Gal. 2.* Vivo ego, iam non ego: vivit verò in me Christus. *3. Corin. 5.* Item se abnegat, qui se suum non reputat, sed Christi: ad cuius voluntatem vult operari. Pro omnibus mortuus est Christus: ut qui vivunt, iam sibi non vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Bernardus. Cui iustus mihi vivendum, quàm ei, qui si non moreretur, non viverem? Iuste sibi vendicat vitam meam, qui pro mea posuit suam. Hieronymus. Perfectus Christi servus nihil præter Christum habet: aut si habet aliquid præter Christum, perfectus non est: Cauendum est ei qui ad religionem venit, ne sub habitu regulari animum secularem gerat. Bernardus. Attende solerter quid diligas, quid ve metuas, unde gaudeas aut tristeris: & sub habitu religionis animum secularem, & sub panis cõuersionis inuenies cor peruersum. Et subdit: Cõuertatur amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi Deum, aut certè propter Deum. Cõuertatur ad ipsum etiam timor tuus: quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter Deum, & non propter Deum. Sic & gaudiũ tuum & tristitia tua, equè conuertantur ad eum. Hoc autem ita fiat, ut non nisi secundum eum doleas aut læteris. Furata est Rachel idolũ Laban. Idololum religiosi est omnis res transitoria, quæ in amore eius, Deo preponitur vel equatur. Scrutabitur Christus virum religiosum: sed eius scrutinium multum erit dissimile scrutinio Laban. Scrutabitur enim non solùm exteriora, sed etiam

Gen. 31.

etiam

etiam interiora. Scrutabor Hierusalem in lucernis: non solum in lucerna: quia non solum exteriora videbuntur, sed etiam cordium abscondita. Sapiens sibi videtur vir diues, proprietarius scilicet, qui diuitias furtiuè habet in religione: pauper autem prudens scrutabitur eum, Christus scilicet.

Sopho. 1.

Pro. 28.

Quod furtum proprietarij sit valde detestabile.

CAPVT III.

Valde detestabile est furtum proprietarij: qui furtum committit inter bonos, quod cauebat inter malos: furtum committit in sacro loco, quod cauebat in seculo. Furtum ibi committit religiosus, vbi timet illud committere secularis. Hoc peccatum multum offendit Deum, & magnum zelum debet habere contra illud, qui religioni præest: & etiam congregatio, sicut ostensum est in peccato Achan, qui contra Domini prohibitionem de anathemate Hierico retinuit furtiuè: pro quo Dominus non solum illi, sed etiam populo se offensum ostendit, nec placari potuit, donec reus furti illius à populo lapidatus fuit. Idem ostensum est tempore gratiæ in Anania & Saphira: qui morte subitanea occisi sunt, cum illud quod debebat esse commune, furtiuè sibi appropriassent. Idem ostensum est tempore beati Gregorij: vt in Dialogo eius habetur: Quidam frater in eius monasterio, qui medicus erat, in infirmitate positus, morti propinquus, fratri sibi seruienti reuelauit, quod haberet tres aureos occultos; quod fratribus celari non potuit. Et perscrutantes omnia eius medicamen-

Iosue 7.

Aclor. 5.

Lib. 4. Dialog. cap. 55.